

viginti peditum millia recensita dicerentur. Eo armorum apparatu Itali incitati Principes, in suis ditionibus quisque classicum cani jusserant. Veneti legatum in continentem cum summo imperio mittere statuunt. Joannes Mocenicus, Marcus Procurator, provecta jam ætate, militaribusque magistratibus prudenter ac fortiter gestis insignis, lectus. Erant qui arbitrarentur, omnes cataphractos equites in Rhodiginam peninsulam mittendos; eo & subjectorum incolumitati consultum iri, & arma averti, concordiamque, quo potissimum consulta Senatus respiciebant, facilius iniri posse. Plerique, quod multa inde suboritura suspicionum semina conjectarent, satius ducebant, quid reliqui Principes consilii caperent; quo Hispanus inclinaret, primum spectare; cum præsertim Sueslanus legatus, prorex Neapolitanus, Insubrumque gubernator literas quam celerrime in Hispaniam perferendas curassent, quibus Regem, ut statim suam ea in causa mentem aperiret, efflagitabant; Sueslanusque Delphino oratori communicasset, a se Philippo significatum, Estensem illi judicium permittere: quocirca in Italiam mitteret, qui pro Cæsare scripta ad se in Hispaniam perferret: quidquid Philippus statuisset, Cæsarem facturum sibi suadere: quem sane si jure niti putasset, ne Ferraria amoveretur, curaturum; immo adversus quoscumque, qui eum opprimere tentassent, defensurum. Hæc licet ad Clementem pervenirent, ne minimum quidem de sententia amovebatur; quod Hispanos ancipiti Gallico ac Belgico bello distentos animadverteret; neque consentaneum, ut novas barbarum occasiones quærerent, Italicamque pacem everterent, arbitraretur.

Inter hæc vero cum crebris sermonibus usurparet, si quæ jura in Ferrariensi ducatu Estensis haberet, ea jam sibi ostensurum, orbique promulgaturum fuisse; Cæsarem Senatus hortatur, ne in iis proferendis amplius cunctatione utatur; id & ad hominum sibi opinionem conciliandam, & ad tempus captandum, quo se ad impetum excipiendum, atque ad aliorum vires conatusque obtundendos compararet, opportunum fore. At jura scripto exarata recipere cum Clemens abnueret, Herculem Rondinellium, qui illum ad ea pernoscenda adigere niteretur, Romam misit. Eodem tempore, cum fama

Joannes  
Mocenicus  
in continentem  
si legatus.

Hercules  
Rondinellius  
Estensis  
jura ad  
Pontificem  
perferre.